

X⁶
738

F. III, 54^a

ORATIO FVNEBRIS
 IN OBITVM
 SERENISSIMI PRINCIPIS
WILHELMI
ANHALTINI

IN ILLVSTRI GYMNASIO SERVESTANO
 PVBLICE DICTA

A

JOHANNE DANIELE CRAMERO,
 SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET LINGVAR.
 SACR. NEC NON HIST. PROF. P.
 ILL. GYMN. RECT.

PRÆMISSVM EST PROGRAMMA ORATIO-
 NIS HABENDÆ INDICIVM

SERVESTÆ,
 LITERIS JOHAN. DAN. MVLLERI, ILL. GYMN. TYPOGR.



ORATIO FUNEBRIS

IN OBITUM

SERENISSIMI PRINCIPIS

WILHELMI

ANNAETINAE

IN WILHELMO GEMINO SENESIANO

JOHANNIS DANIELIS GRAMERO

ET THEOLOGICI ET LINGVAE
SACRAE ROR. HES. ROR. R.
ILL. CIVIS ROR.

PRÆTORII ET PROFESSORIS ORATIO
IN WILHELMO SENESIANO

LITERIS JOHANNIS DANIELIS GRAMERO
ILL. CIVIS TYOG.



L. B. S.

*CVM SAPIENTISSIMO ET SANCTISSIMO NOMINI
VISVM FVISSET,*

*DIE XIV. DECEMBR. ANNI PRÆTERITI
BEATVM FINEM IMPONERE
INTEGERRIMÆ ET SVMMIS VIRTVTIBVS SPECTA-
TISSIMÆ VITÆ*

SERENISSIMI PRINCIPIS

ET DOMINI,

DOMINI

WILHELMI,
PRINCIPIS ANHALTINI,

DVCIS SAXONIÆ, ANGRIÆ ET
**WESTPHALLÆ, COMITIS ASCANIÆ, DYNASTÆ BERN-
BVRGI ET SERVESTÆ,**

DOMINI NOSTRI,

DVM VIXIT,

CLEMENTISSIMI,

NVNC TANDEM,

*POSTQVAM NOVISSIMO DIE XVIII. HVJVS MENSIS
TVMVLO ILLATVM EST,*

*QVICQVID EJVS MORTALE FVIT,
AD IMMORTALEM TANTI NOMINIS MEMORIAM
CONSERVANDAM*

**DEBITI HONORIS POSTREMO OFFICIO
LAVDATIONE FVNEBRI
EX PVBLICO MANDATO PERFVNGETVR**

ILLVSTRIS HVJVS GYMNASII
RECTOR

JOHANNES DANIEL CRAMERVS,
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET
LINGVARVM S. NEC NON HIST.
PROF. P.

AD QVAM
PROXIME FVTVRO DIE XXVI. HVJVS MENSIS
MARTII H. IX. MAT. LOCO. SOLITO
AVDIENDAM

CVJVSQVQVE ORDINIS MECENATES, FAVTORES,
VIRI LITTERATI,

NEC NON

CIVES NOSTRI OMNES
HV MANISSIME INVITANTVR.



DOMINI NOSTRI
CLEMENTISSIMI
POSTVAM NOVISSIMO DIE XXVI HVJVS MENSIS
MARTII H. IX. MAT. LOCO. SOLITO
AVDIENDAM
DEISTI HONORIS POSTIMO ORGEO
LAVDATIONE RVBERRI
EX PARLICO MANDATO FERRVNGELAT

1711

17



Auditores !



Vidigitur in fausti augurii portendi existimem, quod ego vix hanc urbem, vix hunc locum Academicum ingressus primis summorum Principum nostrorum solennibus mandatis ad ingrata & luctuosa officia fuerim vocatus? Vix ante hos octo menses novicius advena pedem posueram in hoc Musarum domicilio, cum eve-

B

sti-

ORATIO FVNEBRIS.

Itigio ad præclarissimæ neque unquam hic
obliviscendæ FRIDERICÆ Principis exe-
quias & pompam funebrem eundum esset.
Vix jam etiam in publici muneris initiis nego-
tia ad rectam regulam composui, cum denuo
imperatum esset hoc, quo in præsentia de-
fungor, triste officium, quod destinatum est
sempiternæ memoriæ optimi & laudatissimi
olim Principis, WILHELMI, *Serenissimi*
Principis Anhaltini, Ducis Saxoniae, Angriæ
& Westphaliæ, Comitis Ascaniæ, Domini
Bernburgi & Servestæ, Principis & Domini
nostri, quoad in vivis fuit, Clementissimi, nu-
per a DEO summo rerum humanarum MO-
deratore e terrestri sua sede in cœlestem au-
lam evocati. Ita, proh dolor! his proximis
annis in Celsissima Domo Anhaltina funera
funeribus successerunt. Modo hic, modo
alibi in splendidissimis aulis publicus luctus
extitit. Quod cum ego ipse invitus recor-
dor, tum vero illud multo mihi est durius,
quod præteritum primum, & si ita loqui fas
sit, meum annum, quo auram Anhaltinam
spirare cœpi, Serenissimarum Personarum tri-
plicatæ mortes fatalem & tristem fecerunt.
An ego enim potuerim his rebus non per-
celli? annon acerbi molestique mihi fuerint
eorum mœrores, a quorum clementia Mu-
sæ

sæ nostræ ducunt spiritum, & quorum optima
 conditio ad nostra etiam subsellia non exigu-
 am felicitatem transmittit? Enim vero siquid
 unquam averfatus sum, nunc plane torpenti
 & refugienti animo hoc negotium suscepi,
 ut uni Serenissimorum Principum Anhalti-
 norum, quorum omnium nuper mirificum
 erga me novitium civem gratiam & clemen-
 tiam coram expertus sum, tam mature iusta
 persolverem, quem una cum ceteris Celsissi-
 mis Cognatis, si DEO ita visum fuisset, suis
 civibus & nostris Musis diu vivere cupiebam,
 & victurum sperabam. Sed quid possumus
 contra fatorum vim? quidve obloqui licet
 sanctæ providentiæ, qua res omnes hominum
 volvuntur & mutantur; qua boni Principes
 dantur atque auferuntur; qua stant, qua ca-
 dunt summa quæque & ima, cœlestia & ter-
 restria! Itaque etsi merito optimum Princi-
 pem amissum lugemus, tamen recreat nos
 virtutum illius clarissimarum memoria, qua-
 rum monumenta, opinor, æterna cum in
 chartis perennibus, tum in animis eorum, qui-
 bus WILHELMVS noster usquam innotuit,
 relicta sunt. Eodem igitur respicit Musarum
 nostrarum pietas, ut quem vivum omni reve-
 rentia & subjectione colebamus, ejus mortui

ORATIO FVNEBRIS.

immortalem memoriam & nunc prosequamur, & post cineres in posterum veneremur. Utinam vero, quæ in hoc publico loco de Serenissimi nostri amplissimis laudibus dicenda sunt, ea qua par est, copia & eloquentia a me explicari possent, exhaurienda potius a diuturnæ & proximæ consuetudinis oculato probatissimoque teste, quam a me peregrino homine, cujus neque facultas neque notitia ea omnia, quæ in Optimo nostro Principe plane admirabilia fuerunt, satis assequitur. Sed utcunque est, etsi alia omnia in me minora, quam pro rei necessitate invenio, tamen amoris & fidei erga Serenissimam Domum Anhaltinam & Desideratissimum nostrum Principem nihil deesse arbitror. Quidquid igitur ab optima voluntate, rectoque animo profectum in Laudatissimi nostri WILHELMI memoriam admodum breviter & quasi in angustissima tabella delineabitur, id obsecro Vos, qui huc confluxistis, ut aliquantisper patienter audiatis, animisque vestris amabilissimi & optimi Principis speciem in omne seculum perduraturam imprimatis.

Dum igitur in rerum propositarum initiis oratio versatur, ita voluntur protinus cogitatio

tationum mearum fluctus, ut non satis exploratum habeam, utrum ad illustrandum decus vetustissimæ & præclarissimæ Domus Anhaltinæ primo commemorare debeam Serenissimi nostri *proprias virtutes*, an hujus gloriam contra explicari & amplificari deceat ex gloriosissimorum *Majorum Sanguine*? Sed, ne hæream res expedita est, cum & Domus, e qua Serenissimus noster originem duxit, huic ipsi primum honorem splendoremq; attulerit, & hic vicissim suam Domum multis ornamentis olim conspicuam propriarum suarum laudum accessione magis nobilitaverit. Sicut enim pretiosa gemma auro inserta & aurum ipsum condecorat, & ab eo vicissim aliquid honoris accipit: ita quoque bonus Princeps tum suæ Stirpi decori est, tum inde majorem existimationem & gloriam nanciscitur. Nolim autem nunc diffusissimum opus ingredi, ut Antiquissimæ Domus Anhaltinæ gentilitium splendorem perlustrem, ut Serenissimi nostri clarissimos majores longa serie enumerem, ut res gestas eorum & virtutes prædicem. Vereor enim, ne tot luminibus circumfusis oculorum acies, quæ nunc uni WILHELMO nostro intenta est, plane obruatur atque obtundatur. Neque vero

C

An-

Anhaltini ignorare possunt suorum Principum gloriosam antiquitatem, quam oportet eo clariorem esse, quo profundioribus tenebris tegitur priscorum seculorum, quorum accuratorem descriptionem barbaries Germanorum aut incuria neglexit. Si vero ad obscurissima tempora adscendere non licet, annon illud Serenissimo nostro satis gloriosum est, quod a DC annis certa memoria superfit clarissimi generis, unde bini Germaniæ Principes Electores eodem tempore, nullo sane exemplo prodierunt? Quæ una res de nominis Anhaltini dignitate, vel de illustri consanguinitate, vel etiam de singularibus in Germaniam meritis, ~~omni exceptione~~ majus testimonium perhibet. Itaque si ab illo Celsissimæ Domus Anhaltinæ præsentis antiquo conditore ALBERTO VRSO ad posterius ævum descendimus, quam in eo multi apparent elegantium virtutum varietate præstantissimi posterii, iique in generationis gradibus æqualibus ^(a) fere simili ingenio & indole, quod miratus sum, laudabiles! Quod si animum adjicimus ad recentiore illum & communem alterum parentem Divum JOACHIMVM ERNESTVM, hujus Athenæi fundatorem, fane

(a) E. g. In gradu septimo generationis fuerunt bellatores, in nono fere similes, in decimo litterarum & religionis fautores.

ORATIO FVNEBRIS.

sane quidquid in humano genere præclarum, quidquid in Principum Familiis optabile & summum cogitari potest, in *quinque* illius celebratissimis Filiis simul accumulatum invenitur. Horum enim nihil deerat summæ perfectioni, sive veram pietatem & amorem literarum, sive rei militaris uberrimam scientiam & fortitudinem, sive omne genus sapientiæ politicæ requirimus; ut mihi sane indubium videatur, si universæ reipublicæ Germanicæ administrandæ summus senatus, qualem Maximilianus I. Imperator quondam instituit, tunc denuo eligendus fuisset, his quinque optimis Principibus digniores aptioresque non extitisse. Ut enim ad unum CHRISTIANVM I. Serenissimi nostri avum paternum propius veniam, quis non miratur sapientiam, fidem, fortitudinem, constantiam celeberrimi heroïs, quem Principes Germaniæ foederati in illo rerum suarum discrimine ad sincerioris religionis defensionem exercitus sui summum Imperatorem constituerunt? Alias enim laudes jam de industria prætermitto.

Sic brevissima via Auditores! perventum est usque ad Serenissimi nostri WILHELMI Patrem FRIDERICVM hujus, quem modo

ORATIO FVNEBRIS.

memoravi , Christiani I. Filium , cujus re-
centior memoria adhuc plerisque nostrum
quam jucundissima est. Hic, inquam, FRI-
DERICVS paternam avitamque præclarif-
simarum virtutum hæreditatem ad hunc Fili-
um Principem GVILIELMVM nostrum per
Illustrissimam Conjugem , JOHANNAM
ELISABETHAM , Celsissimi Comitis, JO-
HANNIS LVDOVICI, Nassovici Hada-
marenfis Filiam propagavit. His parentibus
ortus est Serenissimus noster, *die 18. Aug. an-
ni 1643.* eo videlicet tempore , quo splendi-
disfimi Legati Cæsarei, ac inter eos specia-
tim prædictus JOHANNES LVDOVICVS,
Nassovicus ad pacem post bellum illud diutur-
num faciendam Monasterium primo vene-
rant. Qua in re potissimum hoc est memo-
rabile, quod sicut CHRISTIANVS I. WIL-
HELMI nostri Avus Paternus infelici bello
præfuerat , unde primum Ecclesiæ puriori
ingentia pericula impendebant, ita contra A-
vus Maternus, JOHANNES LVDOVICVS
Nassovicus pacificationi adscisceretur, quæ
postea in ejusdem Ecclesiæ singulare emolu-
mentum & firmamentum desit. Verum
ad Serenissimum nostrum WILHELMVM
redeundum est. Ei sicut singulari DEI be-
neficio contigerat optimis Parentibus natum
esse

ORATIO FVNĒBRIS.

esse, ita nec defuit Christiana, & tam Illustribus Natalibus congruens educatio, quæ sola, quantum ad omnem vitam momenti habeat, non est, quod vobis pluribus verbis explicem. Si enim a recta singulorum educatione omnis eorum salus pendet, o quantum interest Ecclesiæ & Reipublicæ, ut Principum, quorum potestati omnis rerum humanarum cura commissa est, prima adolescentia ad veram DEI cognitionem & amorem, virtutem, iustitiam, clementiam, prudentiam mature formetur. Hic sane certi fructus non intra privatos parietes concluduntur, sed totas urbes, provincias, regna permeant, ut summi beneficii loco habendum sit, si DEVS Principem dederit a prima ætate litteris divinis & humanis recte imbutum, & ab hujus sæculi malo contagio abstractum. Itaque hujus rei non nescii Serenissimi nostri Principis Sapientissimi & Piissimi Parentes a principio statim operam dederunt, ut cum lacte materno quasi prima elementa salutaris doctrinæ Christianæ & quæcunque alia ad laudabilem principatum necessaria sunt, Serenissimi WILHELMI nostri generosæ menti instillarentur. Delecti sunt huic negotio pietatis & eruditionis laude excellen-

D

tes

tes *Triumviri*, *Erdmannus Milagius*, ex Milagiorum, qui de republica Anhaltina bene meriti sunt, notissima familia oriundus, item *Fridericus Beckerus*, postea Consul Servestanus, nec non *Theophilus Christianus Nüslerus* linguarum aliquot exoticarum, & litterarum elegantiorum scientia tunc temporis præstantissimus. Priores duo optimi WILHELMII primæ infantia erudiendæ præfetti sunt in aula patria, tertius deinde vix *septennem* Principem ex illorum manibus accepit, quem absente Serenissimo Parente (erat enim tunc longum iter ingressurus) in aula *Dessaviensi* necessariis eruditorum linguis ceterisque *studiis historicis, politicis, Theologicis* perpoliret. Altero igitur hoc ætatis *septennio* WILHELMVS noster hujus Nüsleri filii ductu ad rerum discendarum fastigium ascendit, ac post illud tempus Serenissimo Patri FRIDERICO ex itinere admodum diuturno in patriam reduci studiorum suorum rationem reddidit, suamque diligentiam, ingenium, litterarum amorem luculentis specimenibus & publicis testimoniis magna cum laude comprobavit.

Elapso inde biennio cum Serenissimus

noster annum ætatis *septimum decimum* ageret, visum est Serenissimo Parenti, ut Princeps adolescens peregrinationem suscipere. Ita enim longo usu compertum est, non solum libris, disciplinis & præceptis indigere futurum Principem, sed etiam polytropia quadam & variarum rerum experientia, quæ hauriri non possit, nisi ex prudenti & recte instituta peregrinatione. Equidem non ignoro, hanc quæstionem de Principe adolescente ad externos mittendo aut non mittendo variantibus sententiis agitari posse, atque olim, cum alius esset rerumpublicarum status, hujusmodi peregrinationes fortassis minus frequentes fuisse. Neque dubium est, quin aliquando longarum peregrinationum fructus minus salubres sint, si nimirum ingenium hominis ad malos exterorum mores potius, quam ad bonos imitandos proclive sit. At vero, ubi pectus bonis litteris excultum est, ubi animus pietati adsuæfactus, ubi optima doctrina menti insidet, quis sic exteras provincias inutiliter adiri affirmaverit? Sane Serenissimus noster cum ea ætate, quæ actionibus humanis discernendis fatis idonea est, quemadmodum modo explicavimus, ad omnem virtutem optimarumque scientiarum possessionem fuisset introductus, non potuit

ORATIO FVNEBRIS.

non ex peregrinorum commercio jucundissimos & saluberrimos fructus percipere. Itaque a Serenissimo Patre dimissus est, totoque octennio Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam, Belgium, Germaniam perlustravit, celeberrimas urbes vidit, populorum instituta ac mores cognovit, imperiorumque discrimina sedulo inspexit; quidquid denique vel antiquitatum vel ædificiorum aut munitiorum quibusque in locis visu dignum esset, observavit atque adnotavit. Quo modo singularem prudentiam civilem & immensam rerum multarum cognitionem consecutus, salvus DEI beneficio & incolumis ad suos revertit.

Tandem igitur, Auditores! huc brevis oratio procescit, quo nativitas, institutio, peregrinatio, imo omnia Serenissimi WILHELMII nostri spectabant. Is enim, ut alii cuncti Principes, non sibi erat natus, sed civibus suis; non sui solius gratia bonas litteras didicerat, sed maxime, ut aliquando pie prudenterque regnaret; non denique longorum itinerum pericula & molestias propter se susceperat, sed ut necessario omnis sapientiæ apparatus instructor aliis prodesset. Redditus igitur suis ex tam longo temporis intervallo, quam opta-

optatus advenit Serenissimo Parenti, quam acceptus aulae, quam gratus patriæ, cujus vota & desideria in hoc uno amabilissimo Principe præsentem jam demum plenissime conquieverunt. Vixit igitur Fridericus tantum biennio post desideratissimi Filii WILHELMI reditum, fatisque defunctus hunc omnibus gratissimum successorem reliquit anno 1670. Ab hoc tempore Serenissimus noster Optimi Principis omne officium implevit, atque ita se gessit erga DEUM & homines, ut omnem laudem, honorem, existimationem, amorem, suo merito fuerit consecutus. Quid enim dicam de illius *pietate*, omnium virtutum principem? Nostis, Auditores! quicumque WILHELMVM nostrum cognovistis, eum ita regnasse, ut se totum subjecerit Deo, ut Deum in animis suorum plenissime regnare voluerit. Præstitit igitur se ipsum primum exemplar pietatis, quod cives sui imitarentur. Quæ ad Ecclesiæ ædificationem pertinent, sedulo curavit, coërcita, quantum fieri poterat, impietate & profana vita, quæ Christianorum nomini & dignitati adversatur. Hoc enim tenuit, opinor, WILHELMVS noster Serenissimus, rempublicam omnem esse propter religionem, & religionem omnem in republi-

E

câ,

ca, hanc porro iuste sapienterque administrandam esse, ut sic vita quieta & tranquilla in omni pietate & honestate possit transigi. Eodem igitur spectavit accuratæ *justitiæ* studium. An enim quenquam præter jus & æquum vexari, an quenquam jure suo excidere sciens & volens passus est? Itaq; cum ejus rei potissimum post beatum obitum nuper explorandæ occasio & causâ esset, non potuit, Auditores, non potuit vel tantillum evidentis injustitiæ, quam optimus noster Princeps indulgisset, indicari. Nulla igitur extiterunt unquam civium afflictorum suspiria & gemitus: aut si fuerunt, eo pertinuerunt sine dubio, ut DEVS O. M. tam pium, tam justitiæ tenacem, tam bonum Principem diu servaret! Inprimis enim propter incredibilem *clementiam* & benignitatem amoris fuit suis omnibus, cum neminem a se repelleret, cui auxilio opus esset, hominemque plebejæ tam æquo animo, quam honoratiorem aliquem audiret. Maluit nimirum optimus noster amari, quam cum animi aversatione metui, alienissimus ab illo pessimi Cæsaris dicto: *oderint, dum metuant.* Contra vero, quod ipsum etiam ille deterioris notæ politicus Florentinus concessit, *cum satis pulchre*
cohæ-

ORATIO FVNEBRIS.

cohaerere possint, timeri & in odio non esse;
ita noster gravitatem temperavit naturali clemencia & humanitate, ut propter illam timeretur, propter hanc supra modum amaretur. Non modo autem suis civibus pietatem, justitiam, clementiam demonstravit, sed etiam, ubi occasio fuit, viris doctis suum erga omne genus bonarum litterarum amorem factis testatum fecit. Vnde non tantum primos annos juventutis laudabilibus studiis impendit, quasi aliorum auctoritate impulsus, sed etiam in ipso principatu animum optimarum scientiarum amantissimum egregiorum librorum diligenti lectione satiavit atque oblectavit. Cum aequalibus autem serenissimis Consanguineis & Cognatis ita se gessit, ut omnes illi WILHELMI nostri prudentiam & amabiles virtutes magnifacerent, & sui amantem toto animo redamarent.

Supereſt, Auditores, (neque enim, quod ad vitæ humanæ præcipuam conditionem pertinet, possum prætermittere) ut Serenissimi nostri WILHELMI Christiana matrimonia & in statu conjugali necessarias virtutes vel paucis exponam. Nimirum seu respublica seu propriæ conscientiae ratio postu-

lat, ut Princeps vitæ sociam propinquam, thalami confortem, domesticum solatium secum habeat; qua in re uti hominis privati, ita etiam Principis imo reipublicæ felicitas sæpe magna ex parte posita est. Itaque & Serenissimus noster in amabili conjuge eligenda suam, quam multo rerum usu adquisiverat prudentiam, semel atque iterum luculenter ostendit. Primo ille sanctam fidem conjugalem adstrinxit Illustrissimæ Virgini ELISABETHÆ ALBERTINÆ, Patre ALBERTO OTTONE ex antiqua Comitum Solmensium Stirpe oriundæ. Læti hujus conjugii initium vidit annus 1671. cum WILHELMVS noster maturam ætatem annorum XXVIII implevisset. Fuerunt postea per DEI gratiam fortunata omnia, fuit animorum jucunda conjunctio, fuit mutui amoris & fidei fructus, plena tranquillitas, Serenissimi nostri WILHELMI amabili suavitate undique elucente, nisi quod optata Serenissima soboles ex eo matrimonio non nasceretur. Tandem post annorum XXII decursum anno O. R. 1693. postridie Kal. Jan. ELISABETHA ALBERTINA in vivis adeoque in Serenissimi nostri matrimonio esse desiit. Tulit hanc non levem jacturam

ORATIO FVNEBRIS.

ram WILHELMVS æquo animo, patienter adquiescens in sapientium fatorum ordine, donec biennio post singulari DEI providentia damnum hoc plenissime refarciretur. Alteram enim omni ornamento & laude clarissimam Conjugem suppeditavit tum vetustate Illustrissima tum cognatione amicissima Domus Nassovica; cum pronuba DEI manus duceret WILHELMVM nostrum ad Serenissimam Principem SOPHIAM AVGVSTAM, HENRICI Dillenburghensis Filiam natu maximam, tunc temporis in Gynæceo Regio Hafniæ versantem. Itaque noster vitæ suæ quasi novum præsidium & fulcimentum eminus accepit, Aula Regia splendidissima coram applaudente, & infinitis lætitiæ nuptialis generibus personante. Nimirum & in Regum fuit amoribus Serenissimus noster WILHELMVS, ipse decus quoddam Principum, & propriæ Domus Anhaltinæ ornamentum. Verum ut nihil non fuerit in hoc quoque conjugio auspiciatissimum, rursus tamen defuit, quod Serenissimorum Conjugum spes sibi promiserat. Rursus hic sanguinis Anhaltini propagatio non fuit, rursus summi Parentes prolem sui similem futuram non viderunt, rursus patientiæ materiam inopinata sterilitas imperavit. Videlicet siquid usquam est,

F in

ORATIO FVNEBRIS.

in quo vigiles DEI & rebus humanis intenti oculi versantur, sunt, opinor, præcipue matrimonia & Domus Principum, quarum conditionem DEVS sapienti cura sic gubernat, ut pro ipsius arbitrio ex crescentibus aut decre-scentibus desinentibusve regnantium Familiis ea pendeant, quæ ad statum Ecclesiæ & rei-publicæ ceteris illius divinissimis decretis constitutum atque definitum sapienter sunt accommodata. Rectissime sane facit DEVS, quidquid facit, siue rationes operum cognitæ nobis sint, siue occultæ. Itaque & WILHELMVS noster non secreto murmure obstrepuit DEI sanctæ providentiæ, sed summam rebus omnibus dominantem potestatem agnovit, & animi sui subjectione celebravit, in qualicunque rerum suarum statu functus semper officio sapientis, iusti, pii Principis, seu æqualibus seu inferioribus sine discrimine amabilis, in omni vitæ parte Christiana prudentia, magnanimitate, suavitate, virtute singulari plane eximius, & quod sine fuce vere affirmare possum, optimis, qui a DEO exoptari debeant, Principibus adæquandus.

Fuit igitur omnino, Auditores! cur & Serenissimi Principes Anhaltini hunc amantissimum Cognatum, & splendidissima Conjux hunc jucundissimum maritum, & subjectissimi cives nobiscum hunc clementissimum Domi-

ORATIO FVNEBRIS.

Dominum, si fata voluissent, diutius vivere & valere optarent. Verum cum aliter placuerit summo Numini, qui sub anni præteriti finem Serenissimi nostri WILHELMI vitam insuperabili morbo & morte claudi voluit, lugemus fane hanc optimi Principis jacturam toto animo, at simul divinum beneficium agnoscimus, quod post unius excessum alii Serenissimi Principes hujus præclarissimæ Domus Anhaltinæ, pii, clementes, justî, omnique virtutum genere clarissimi Musis nostris fovendis & excitandis suisque civibus recte sapienterque regendis & defendendis supersint. Hos DEUS benigne conservet in posterum, eorumque omnium Serenissimas Familias ad gloriam suam florere jubeat, omnesque seu Ecclesiæ seu Reipublicæ perniciosos casus avertat. Ita reliquorum Serenissimorum Principum nostrorum olim vel longæ posteritati jucunda memoria erit, sicut WILHELMI nostri beatissime defuncti, cujus repetitam pleniorē commemorationem (*) jam jam audiendam etiam nunc vobis omnibus minime ingratham fore confidimus.

DIXI.

(*) Post hanc orationem dictam eximius Juvenis FRIDERICVS BENJAMIN Stubenrauch Bernburgensis, Theol. Stud. descriptionem vitæ, morbi & mortis Serenissimi WILHELMI secundam eam formulam, quæ in omnibus templis die funebri, prælecta est, publice e Cathedra inferiori recitavit.



Durch den heiligen Geist
 wird die Seele erleuchtet
 und mit der Gottheit verbunden
 und in der Liebe zu Gott
 und den Nächsten
 die Früchte der Liebe
 zu erlangen
 und die ewige Seligkeit
 zu erlangen
 und die ewige Seligkeit
 zu erlangen

DLXI

In hac pagina continetur
 tractatus de...
 et de...
 et de...



X 6738

40

ULB Halle 3
003 556 743



Sb



ORATIO FVNEBRIS
 BITVM
 MI PRINCIPIS
HELMI
ALTINI

YNASIO SERVESTANO
 CE DICTA
 A

IELE CRAMERO,
 VSDEMQVE ET LINGVAR.
 ON HIST. PROF. P.
 MN. RECT.

PROGRAMMA ORATIO-
 NDÆ INDICIVM.

VESTÆ,
 LLERI, ILL. GYMN. TYPOGR.

